Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2145
Quelle:
Copyright:

DLXII.

158 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 160. f. bene ſcriptus et rubricis diſtinctus continet *Summam Collectionum* ſive *Communiloquium Johannis Guallenſis*, *Galenſis*, *Valleis*, *Waleys*, Angli *Wigorienſis* O. M. Scriptoris Sec. XIII. et Praeceptoris conterranei ſui *Johannis Duns* ſ. *Scoti*, qui tamen in Codice non nominatur. Opus in VII. *Partes* tribuitur. Praefationis initium eſt: *Cum doctor ſiue predicator ſapientiſſimis et inſipientibus debitor ſit* &c. Ait in hac Praef. *Quia non omnibus predicantibus conuenit inſpicere et perſcrutari multa volumina predicatorum doctorum collegimus in hoc tractatu ſiue collectione que poteſt dici* ſumma collectionum *ſiue* commune loquium *quedam generalia ad inſtructionem hominum ſecundum veritatem* (varietatem?) *ſuorum ſtatuum. Et hoc non ſolum de libris diuinorum doctorum Sed etiam ex libris gentilium philoſophorum* &c. Id, quod exemplo *Pauli*, *Hieronymi* et *Auguſtini* tuetur, et gnaviter praeſtat, ut adeo non mirer, eum, *Trithemio* teſte, *Pariſiis*, ubi docuerat, *Arborem Vitae* adpellatum fuiſſe. Agit de eo praeterea *Caveus*, *Oudinus*, *Fabricius* et *Tannerus* in *Bibl. Brit. Hib.* lit. J. p. 434. Opus jam Sec. XV. typis procuſum eſt *ſ. l.* et *a.* f. quae editio ad *Joh. Zeiner* impreſſorem *Ulmenſem* pertinere videtur; *Auguſtae* per *Ant. Sorg.* 1475. f. item, ut ex phraſi ſubſcriptionis videtur, 1481. per eund. f. *Venetiis* per *Georg. Arrivabene* 1496. 8. et *Argent.* 1489. f.

DLXIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 238
XV. Folior. 212. f. duabus columnis nitide exaratus et rubricis diſtinctus hanc in Theca anteriore praefert notam: *Egregius pater ſacre Theologie ac arcium liberalium doctor preclarus. eccleſie ſ. ſtephani wienne decanus atque canonicus meritus. magiſter paulus de melico. collegij ducalis librarie hunc librum teſtatus eſt. cuius anima precibus vtentium commendatur.* Complectitur vero: I. *Johannis Guallenſis*, ſ. *Galenſis* ſ. *de Valleys* O. M. Angli *Summam Collectionum* dictam alias *Communiloquium*, ſ. *Margaritam Doctorum* ſ. *Summam Collationum de regimine vitae humanae*, de quo Opere abunde diximus ad *Cod.* anteced. Praeeunt tamen hic *Summaria* omnium VII. Partium, quae ibi deſunt, et incipiunt: *Cum Collectionis huius que poteſt dici ſumma collectionum ſint ſeptem partes* &c. Finit Opus: *et utiliora ſaluatoris gratia illuminante ſtudeant inuenire.*

II. *fol.* 169. Excerpta, ut inſcribuntur: *Ex vitis Patrum.* Narratiunculae de dictis et factis antiquorum *Eremicolarum*, ſingulae titulis miniatis, quam virtutem doceant. Prima fine titulo incipit: *Quidam frater requiſivit abbatem Heliam dicens: Si contriſtauero*